

De locis aliquot Euripideis symmetria
versuum insignitis

scripsit

Julius Czwalina.

Adhaeret opusculum rebus de progymnasio Meursano a. MDCCCLXXII publicandis.

Meursae

Formis J. W. Spaarmanni.

gmo
1 (1872)





Abhinc quinque annos dissertatione de Euripidis studio aequabilitatis conscripta cum in artem veterum poetarum propriam sententias versuum numero aequandi inquisivissem, qua non modo orationes et breviora colloquia, verum majores etiam fabularum partes continerentur, quaestionem difficillimam non prorsus a me absolutam esse ut confessus sum, ita posterò tempore perfectum iri speravi. Eandem prius operam in poetam impenderat Henricus Hirzel, libelli auctor praestantissimi de Euripidis in componendis diverbiis arte, Lipsiae 1862; postea Henricus Weil septem Euripidis tragoediis Lutetiae Parisiorum a. 1868 editis egregias hac de re adnotationes subiecit, singula autem ab Hermanno Usener in lectionibus graecis museo Rhenano nuper insertis et a Nicolao Wecklein in novis annalibus philologicis (a. 1870, 6) observata sunt. Majoris etiam momenti ea sunt, quae Jacobus Oehry de Aristophane in eodem annal. phil. volumine disseruit, ejus poetae fabulis eam inesse aequabilitatem, ut vel maximae partes eodem versuum numero connecterentur cum rectissime animadvertisset, a tragicis id factum esse perperam negavit. Namque ex tragoedia potius illud emanasse cum per se ipsum verisimile sit, tum plura ejusmodi exempla ex Euripide congesta in dissertatione mea exstant. Hanc autem quaestionis partem absolvere quamquam propositum erat, tamen quia multa etiamnunc dubia mihi sunt atque incerta, — etenim in maximo quoque versuum complexu, facillime ratio numerorum perturbatur uno versu vel omisso vel interpolato, — non de universa re, sed de singulis locis scribere hoc temporis momento satius duxerim. Atque eos potissimum locos elegi, quibus criticam rationem adhiberem, non quo aptissimos putarem ad persuadendum istis qui omnino leges hujus artis apud veteres poetas valuisse negent, sed quia concinnitate versuum ad critices argumenta tamquam cumulo accedente futurum esse spero, ut unus alterve locus Euripideus in integrum restituatur. Jam vero ad singula transeamus.

Heracl. 500 sqq. Hac de oratione Macariae jam disseruit Hirzelius l. l. p. 24., nec tamen hominis doctissimi iudicium prorsus cum meo convenit, nec labem ille graviorem animadvertit, qua oratio commaculata videtur. Quod vitium ut detegatur, accuratius ordo ac nexus sententiarum perscrutandus est. Postquam enim Macaria mortem ultro pro gente se oppetituram esse praedicavit, singula argumenta, quibus ad moriendum impellatur, exponit. Ac primum quidem Atheniensium dicit salutem, qui pro ipsis in ultimum discrimen se obtulerint, tum nobilitatem sui generis respiciendam esse, quia liberis optimo patre natis ignavia imprimis fugienda sit. Fac tamen pergit ut ultro obire recusem, aut una cum Atheniensibus interibo contumeliosaque morte ab inimicis afficiar, aut illis intereuntibus equidem servata vitam prodicione infamem degam referatamque miseriis. Quae cogitatio cum sit bipartita, utramque partem, id est versus 511—14 et 520—24 se exceperisse necessarium est, id quod ut legentibus probetur, oculis haec subiciam:

<i>κάλλιον, οἶμαι, τῆςδ', ἂ μὴ τύχοι ποιέ,</i>	511
<i>πόλεως ἀλούσης χειρας εἰς ἐχθρῶν πεσεῖν,</i>	
<i>κἄπει' ἄτιμα πατρός οὖσαν εὐγενοῦς</i>	
<i>παθοῦσαν Ἄιδῆν μηδὲν ἦσσαν εἰσιδεῖν.</i>	514
<i>ἀλλ' οὐδὲ μέντοι τῶνδε μὲν τεθνηκότων</i>	520
<i>αὐτῇ δὲ σωθεῖσ' ἐλπίδ' εὖ πράξειν ἔχω.</i>	

Qui vero interjecti sunt quinque versus 515—19, Euripidi ob id ipsum abjudicandi sunt, quia neque suum locum tenere queunt, neque alio transponi. Huc accedit, quod de fuga atque exilio, quae est versuum sententia, non jam agitur, siquidem Jolaus supra dixit (v. 440) *ποῖ τρεψόμεσθα . . .*, *ποῖον δὲ γαίας ἕρκος οὐκ ἀφίγησθα, ἄλοῦμεθ', ὃ τέκν', ἐκδοθησόμεσθα δῆ*, nec quidquam Macariam ille docuit, nisi ex oraculi edicto virginem esse immolandam, *εἰ χροῖ μὲν ἡμᾶς, χροῖ δὲ τῆνδ' εἶναι πόλιν*. Forsitan versus quispiam ita tueatur ut dicat rationem haberi versuum 494—97, sed illi quoque a Nauckio rectissime notati sunt spurii et ejusdem auctoris videntur esse ac nostri. Neque singula desunt, quibus spuriae suspicio originis firmetur, etenim v. 516 *κοῦκ ἀίσχνοῦμαι δῆτ'*, *ἐὰν δῆ τις λέγη* a mediocri poeta compositus est, quinto autem versu mira est constructio verbi *προσωφελεῖν*, quod nescio an nusquam cum quarto casu conjunctum legatur cf. *Heracl.* 329 *τοῖς ἀμηχάνοις προσωφελεῖν*. *Ale.* 41 *τοῖσδε γ' οἴκοις — προσωφελεῖν*. *Suppl.* 327 *γυναῖξιν ἀθλοῖς προσωφελήσων*. — De parilitate orationis Hirzelius dicit tribus versibus praemissis subesse tria membra quaternaria et quatuor quinaria, quae aequabilitas per se ipsa non eo turbatur, quod unum quinarium subducendum esse judicavimus. At arbiter alioquin prudentissimus uno loco parum cavet, ne specie deceptus versus in unum conjungendos esse censeret, quos connectere non licet. Neque enim dubium est, quin cum Macaria enumeratis moriendi argumentis ut ad mortem deducatur postulans ipsos Athenienses alloquatur (v. 528) *ἡγεῖσθ' ὅπον δεῖ σῶμα καὶ θανεῖν τόδε καὶ στεμμαιοῦτε*, hinc incipiat orationis clausula, quamobrem versus 520—34 non habendi sunt tria membra quinaria, sed haec orationis pars ex octo versibus (520—27) constat et ex septem (528—34). Hirzelio autem initium orationis recte sic digerente 3. 4. 4. 4, absoluta poetae ars perspicitur, si et versus illos tres cum quatuor sequentibus (500—502—506) et bis quaternos (507—13) artius inter se cohaerere intellexeris, id quod v. 509 *πατρός δ' ἐκείνον φόντας οὐ πεφύκαμεν* probat collatus cum v. 513 *πατρός οὖσαν εὐγενοῦς*. Itaque deletis vss. 515—19 oratio insignita est concinnitatis hac figura antithetica:

7 (3 + 4) 8 (4 + 4) 8 . 7.

Heracl. 983 sqq. Eurystheus ab Atheniensibus bello captus ad Almenam adducitur ex eaque moriendum sibi esse audit. Ac feminae animum haud leniturus quantae sibi inimicitiae cum Hercule eiusque familia fuerint, palam profitetur, autorem vero earum dicit Iunonem, neque susceptis inimicitiis facere se potuisse, quin fortissimum adversarium quavis ratione opprimeret:

ἐπεὶ δ' ἐκέλευε δυσμένειαν ἠράμιην
 κἄγων ἀγῶνα τόνδ' ἀγωνιούμενος,
 πολλῶν σοφιστῆς πημάτων ἐγγρόμην
 καὶ πόλλ' ἔεικτον νυκτὶ συνθασῶν ἀεὶ, | ὄπως. 991

Extremum autem versum legenti primo quidem aspectu ambiguum est, quomodo *νυκτὶ* intelligendum sit, utrum adverbii locum teneat significans i. q. noctu, an pendeat ex *συνθασῶν* similiter dictum ac paullo inferius *μη' συνοικοίην φόβῳ*. Ac priorem sententiam secuti eo adducimur, ut regem putemus de pernicie Herculis deliberantem nocturna cum aliis concilia habuisse, id quod cum per se ipsum improbandum est, tum quia et tertius casus cum *συνθασῶν* coniungendus desideratur, neque notio vocis *ἔεικτον* quadrat aliis vel autoribus vel adiutoribus. Itaque nihil restat, nisi ut vocabula *νυκτὶ συνθασῶν* artius connectenda esse et Eurystheum id dicere censeamus, quod vernaculo sermone reddiderim: Und mit der Nacht im Bunde brütete viel ich aus. Permira sane est haec consociatio verborum *νυκτὶ συνθασῶν*, praesertim cum *συνθασεῖν* translato sensu usurpatum alias non reperiatur, magis autem miror, quod quo temporis momento Eurystheus de hostili suo animo libere loquitur, ad noctem quodammodo se refugisse dicit, ut insidias quasi ex inferis repetitas in adversarium strueret. Ista vero non tam ingenium Euripideum, quam multo posteriorem aetatem redolent, neque ex poetae divino ore, sed ex fonte satis diverso fluxisse videntur eiusque esse qui sententiam verborum *πολλῶν σοφιστῆς πημάτων* voluit amplificari. Sed ad ipsam orationem transeamus, cuius singulas sententias quatuor inesse membris, binis octonariis et novenariis facile est intellectu. Namque exordium orationis Eurystheus inde cepit, quod inimicitiae adversus consanguineum non ultro, sed Iunone autore susceptae essent (983—90), quo praestantior autem omni virtute Hercules fuisset, eo acrius certandum sibi fuisse (991—99, d. v. 994), nec satis fuisse ipsum interimere, sed saevendum in totum genus, ne liberi existerent ultores (1000—8), cui vero victores Athenienses pepercissent, cum morte afficere etsi nulli fas esset, non tamen nimio se vivendi desiderio teneri (1009—17). Haec autem membra octonaria et novenaria ex particulis composita esse his: 3 + 5 3 + 5 5 + 4 5 + 4 oratione attente perlecta quivis perspiciet.

Bacch. 912. Hoc in episodio cum binorum versuum stichomythia multifariam turbata videatur, Kirchhoffius versus aliquot excidisse iudicans, Bacchi unum et Penthei duos exstitisse post v. 927 suspicatur, altero autem loco (v. 934) Penthei verba uno versu esse decurtata. Quod iudicium cum ceteris hominibus doctis non adeo probaret, ut et ipsi signa lacunae ponerent, sed sententiam in adnotationibus afferre satis haberent, equidem demonstraturum me spero, tantum abesse, ut quatuor Euripidei versus nobis sint desiderandi, ut unus legatur non Euripideus. Ac quod de versibus 927—30 Schoenius dicit, distichomythiam institutam propterea abrumpi, ut praecedentia, quae pro introductione quadam habenda sint, ab altera parte initium capiente a. v. 928 aperte distinguantur, ex parte ille quidem verum dixit nec tamen rem absolvit. Nam quamquam maximi momenti est, quod nova scenae pars a v. 928 orditur, vir doctus neque nos docet, cuiam versui v. 927 respondeat, neque qua ratione colloquentium sex primi versus inter se congruant, qui post continuos sex Bacchi (912—17) et primos quatuor Penthei (918—21) coniungendi bis terni sunt hoc modo:

<i>P.</i> ἀλλ' ἢ ποῖ' ἦσθα θῆρ; τεινάρωσαι γὰρ οὐν.	} 1+2	922
<i>B.</i> ὁ θεὸς ὁμαρτεῖ, πρόσθεν ὧν οὐκ εὐμενῆς, ἐνσπονδος ἡμῖν ῥῖν δ' ὄρεξ' ἅ' ἀχρή σ' ὄρεᾶν.		
<i>P.</i> τί φαίνομαι δῆτ'; οὐχὶ τὴν Ἴνοῦς-στίασιν ἢ τὴν Ἀγαυῆς ἐστίασαι μητροῦς γ' ἐμῆς;	} 2+1	925
<i>B.</i> αὐτὰς ἐκείνας εἰσορεᾶν δοκῶ σ' ὄρεῶν.		

Ergo cum exordium scenae ex sedecim versibus sic dispositis 6. 4. 6 (1+2 . 2+1) constet, vel levissima omissorum versuum suspicio abiicienda est. Aliter res se habet paucis versibus post, ubi Schoenius quoque defectum unius versus designavit. Sed spectemus nexum sententiarum. Pentheus muliebri vestimento indutus in scenam progreditur, capillos autem feminarum ritu comtos mitraque coopertos intus bacchatus parum curavit, vinculisque soluti caput eius circumvolitant, qua de causa Bacchus ei dicit:

ἀλλ' αὐτὸν ἡμεῖς, οἷς σε θεραπεύειν μέλει,
πάλιν καταστειλοῦμεν, ἀλλ' ὄρεθον κέρα.

Deus igitur ipse hoc sibi curae esse declarans cum poscat, ut alter caput erigat, Penthei est non tam verba facere, quam morigerari; nihilosetius respondet (v. 934):

ἰδοῦ σὺ κόσμερ σοὶ γὰρ ἀνακείμεσθα δῆ.

Ac ne levia nimis premam, particulam δῆ dico in fine versus languidissimam et rariorem istam ni fallor apud prioris aetatis homines vim vocis ἀνακείσθαι, nonne ob particulam τε, qua utitur Bacchus pergens ζῶναί τε σοὶ χαλῶσι (935), verisimillimum est dei verba nullo interrupta esse responso, quod ex duobus certe versibus constare debebat? Itaque tollentibus nobis versum 934 distichomythia statuenda est ea, quae non vicibus personarum, sed sola sententiae diversitate efficitur, sex versibus (928—33) ad perturbatos capillos pertinentibus et inde a v. 935 transgressu ad alteram orrandi rationem facto. Simile autem exemplum est Or. 1046—51, quo loco lacunam a Kirchhoffio inter v. 1048 et 49 statutam Dindorfius ne adnotavit quidem. Verum latius patet huius scenae ars, quam ut in ipsa distichomythia posita sit. Praeter illud enim exordium (912—27) eorum quae aguntur tria sunt capita: Pentheus bacchice exornatus (928—44) postquam consilia in bacchas perniciose cum deo communicavit (945—60), deduci paratus est atque ancipiti Bacchi sermone luditur (961—76). Hae partes si versum 934 deleveris omnes constant ex senis denis versibus, quarum extrema numeris mihi describenda videtur his: 5 (2 . 2+1) 5 (10× $\frac{1}{2}$). 6.

Orest. 1089, sqq. Orestes capitis damnatus una cum miserrima sorore vim sibi illaturus a Pylade petit, ut corpora mortuorum in tumulo patris condat. Sed is quoque necem sibi consciscere paratus amico dissuadenti cum alia tum haec opponit:

καὶ ξυγκατέκτανον γὰρ, οὐκ ἀγνήσομαι,
καὶ πάντ' ἐβούλευσ' ὧν σὺ ῥῖν τίνας δίκας
καὶ συνθανεῖν οὐδ' δεῖ με σοὶ καὶ τῆδ' ὁμοῦ.

1090

Hunc ad locum adnotat Klotzius: „Non sine idonea causa poeta videtur ter repetita et in initio versus posita καὶ istud ostendere velle, ex una positione alterum necessario evenire, ut quasi e catenae serie nullum membrum divelli possit“. Quod iudicium num probandum sit dubitaverim, quia vis particulae καὶ non prorsus eadem est duobus prioribus locis atque tertio; illi enim versus, si enunciatum eiusmodi esset, ut ex protasi et apodosi constaret, ad protasim pertinerent, apodosis

autem uno versu extremo efficeretur. Sed sententia versuum digna est, quae accuratius tractetur. Miror enim, quod Pylades cum verbis utatur *πάντ' ἐβούλεσά σοι*, omnium se gerat autorem consiliorum. Quando a poetis traicis ista ei persona imposita est? nonne semper eam sustinet Electra, caedis hortatrix atque incitatrix, quae quidem suo iure dicit v. 1236. *ἐγὼ δ' ἐπενεκέλευσα καπέλευσ' ὄκνον*, Oreste idem sentiente (v. 284) *σὺ μὲν γὰρ ἐπένευσας τάδ', ἔργασται δ' ἐμοὶ | μητροφῶν αἶμα*. Certe Pylades parricidii fuit particeps, sed nihil aliud nisi Oresti in ipso rerum discrimine succurrit, id quod ipsius verba optime significant *ἡψάμην δ' ἐγὼ ξίφος* (v. 1235) Aliena igitur ab eo est sententia verborum *πάντ' ἐβούλεσα*, neque adeo animo amico convenire videtur id quod addit *ὦν σὺ νῦν τίρεις δίκας*. Sed sive ista ab aliis maioris momenti esse iudicantur, sive minoris, quivis mihi hoc concedet, qui vel primoribus labris artem imbuerit rhetoricam, vini in gravissimis verbis *ξυγκατέκτανον* et *ξυνθανεῖν* positam fere omnem eo exstingui, quod interposito versu 1090 nimis separantur. Itaque Euripides, summus ille rhetor, quem jam Quintilianus hominibus hujus artis studiosis legendum commendabat, facere vix potuit, quin scriberet:

καὶ ξυγκατέκτανον γὰρ, οὐκ ἀρνίσομαι, 1089
καὶ ξυνθανεῖν οὐν δεῖ με σοὶ καὶ τῆδ' ὁμοῦ. 1091

Versu 1090 eiecto argumenta de communi morte obeunda a Pylade ita explicantur, ut duo seniones exstent (1085—91 d. 1090, 1092—97); etenim extremi duo versus, unde exitum fabulae institui Weilius rectissime adnotat, huc non sunt adnumerandi. Quae orationem praecedunt, quamquam nullam parilitatis speciem prae se ferre videntur, res tamen aliter se habet. Namque episodii prima pars est dialogus inter fratrem atque sororem, altera inde incipit, ubi Orestes ad Pyladem se convertit (v. 1065). Hinc usque ad orationem pertractatam bis deni versus occurrunt, quorum priores (1065—74) vicibus loquendi inclusi sunt atque hac dispositi figura: 4 . 2 . 4x1, alteri ab Oreste pronunciantur familiarem ut vita fruatur impellente*) (1075—84).

Phoen. 388. sqq. Polynices cum matris precibus obsecutus esset, ut Thebas intraret, absente fratre, quoque collocuturus est, ab Iocasta interrogatur, qualem exul vitam degerit. Qui cum exilium dicat malum, quo nullum majus ducendum sit, illa perscrutatur, quatenam sint incommoda homini exulanti. Atque aegerrime quidem ferendum censet, quod patria expulsi loquendi careant libertate, cujus verbis *οὐκ ἔχει παρρησίαν* Iocasta respondet:

*) Orestis oratiunculae videtur macula adhaerere, quae quod sciam a nullo hominum doctorum deprehensa est. Pyladi neganti fore ut orbatus socio carissimo vitam diutius degat, alter respondens:

ἀπόδος τὸ σῶμα πατρί, μὴ σύνθνησκέ μοι, 1075

postulat, ut patri se suamque vitam condonet. At vide quid causae subiciat:

σοὶ μὲν γὰρ ἔστι πόλις, ἐμοὶ δ' οὐκ ἔστι δῆ,

quo loco *πόλις* nihil aliud est nisi patria. Nonne vero ipsa patria est, cui et vivamus et moriamur oportet? num igitur verisimile est priorem versum ad patrem spectare, alterum ad patriam? Quae cum ita sint, sententiam Orestis verbis arbitror eam expressam fuisse, ut ab amico posceret, ut pro patria potius animam profunderet, quam secum moreretur, quae sententia duabus literis ad vocem *πατρί* additis efficitur:

ἀπόδος τὸ σῶμα πατρίδι, μὴ σύνθνησκέ μοι.

Io. δούλον τόδ' εἶπας, μὴ λέγειν ἅ τις φρονεῖ.

Po. τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών.

Io. καὶ τοῦτο λυπρόν, συνασοφεῖν τοῖς μὴ σοφοῖς.

Po. ἀλλ' εἰς τὸ κέρδος παρὰ φύσιν δουλευτέον.

395

Horum in versu tertio olim offenderat Piersonus in libello qui inscribitur Verisimilia (I. 6) ita disserens, quod editur *συνασοφεῖν* vereor ut graecum sit, qua de causa ratione habita Iph. Aul. v. 406 restituendum censuit *συννοσεῖν*. Id iudicium quamquam ignorasse videtur Valckenarius, tamen et ipse *συνασοφεῖν* recte formatum esse negavit ac scribendum proposuit *συμφοφεῖν*. Hinc intelligimus in voce *συνασοφεῖν* satis esse offensionis, quamquam aliam inde coniecturam fecerim. Parum autem homines doctos hoc loco curasse arbitror, quid nexus sententiarum postularet. Nonne luce clarius est Iocastae verba *δούλον τόδ' εἶπας, μὴ λέγειν ἅ τις φρονεῖ* responso respici filii *ἀλλ' εἰς τὸ κέρδος παρὰ φύσιν δουλευτέον* atque ita quidem ut quid aptius respondeat, ne cogitari quidem possit. Quid inde efficitur? Quaeratur oportet, utrum poeta quae apertissime cohaerent de industria diremerit, filiumque matri fere indignanti tribus versibus post quodammodo se excusantem fecerit, an versus 393, 94 posteriore tempore inserti existimandi sint. Neque dubito, quin alterum probandum sit, versum utrumque ab histrione confictum esse, scilicet ut sententia quae inest vocibus *οὐκ ἔχει παρρησίαν* egregie explicaretur. Hoc iudicium eo stabilitur, quod poeta non satis habuit matris cum filio colloquium singulis versibus stichomythicis componere, sed quae propter sententiam connectenda erant, numerorum quasi vinculo colligavit. Duabus autem potissimum in rebus versatur sermo matre sciscitante, et quomodo exilium filius tulerit, et qua ratione gener factus sit Adrasti, quorum illud versibus 388—407 inest — interpungendum enim plenius est ante v. 388, id quod Dindorfius fecit —, hoc versibus 408—25 continetur, id est duodevicensis versibus, deletis versibus 393, 94. Ac quamquam concinnitas minutarum partium non eadem qua saepius diligentia elaborata est, statuenda mihi tamen haec videntur. In eis quae de exilio aguntur, misera exulum condicio tractatur universa sex versibus stichomythicis (388—95 del. 93, 94), tum post quatuor versus de vana spe exulantium atque elusione (396—99) sex versus sunt colloquentium, quid ipse exul toleraverit (400—5), denique summa est de patriae caritate (v. 406, 7), unde apparet, quae ad exilium spectant, numeris inclusa esse his 6X1. 4X1. 6X1. 2X1. In altera parte vicibus interrogandi atque respondendi enarratur, Adrastum ab Apolline iussum filias apro et leoni dare, (408—13), cum noctu Polynices et Tydeus eo convenissent (414—19), homines bestiarum ritu de cubili certantes generos sibi assumpsisse (420—23), quibus versibus (6X1. 6X1. 4X1) duo de ipso matrimonio (424—25) coniungendi sunt. Bis autem recurrentibus versibus duodevicensis tamen caput rerum inest binis extremis. Huc convenit ratio totius scenae eo quod Eteocles v. 443 in scenam progreditur apertissime finitae, quam priusquam explicemus, adstipulandum erit Dindorfio et versum 372, quem Kirchhoffius ab interpolatore confictum ad similitudinem Alceest v. 441 (427) intellexerat, et v. 428 autore Iortino ex ordine verborum removenti. Ac deleto quidem versu 372 versus praecedentes dialogum, de quo disseruimus, triginta duo sunt (355—87), qui in duas denorum seniorum versuum partes dilabuntur propterea quod Polynices descripto animo quo Thebas ingressus sit ad ipsam matrem se convertit inde a v. 371 *ἀλλ' ἐκ γὰρ ἄλλοις ἄλλοις ἀν' σε δέχομαι | ἔχουσαν* (355—70=371—87). Subsequentibus autem colloquium stichomythicum sedecim versibus (426—42) totius scenae ars, mihi videtur haec esse:

16 + 16 | 18. (16 + 2). 18 (16 + 2) | 16.

Phoen. 739 sqq. Versum *λόγων ἀνάσσειν ἐπὶ προσκίσθαι πύλαις* Nauckius ita edidit, ut verba *λόγων ἀνάσσειν* secluderet, adnotans „verba *λόγων ἀνάσσειν* ex v. 742 huc immigrarunt, genuina lectio latet“, neque aliud fere iudicium tulit Kirchhoffius his verbis: „*λόγων ἀνακτας* Matthiae, sed fortasse totum hemistichium errore huc retractum e v. 743 (742)“, Meinekius autem scribendum proposuit *χάπτιά*. Verum equidem vereor, ne gravius loco vulnus inflictum sit. Spectantibus enim nobis ea quae aguntur, qui fieri potest, ut Eteocles cum audierit impetum in portas urbis a septem ducibus factum iri, exhortante Creonte, ut par numerus opponatur, quaerat, utrum cum manu an singuli mittendi sint: *λόγων ἀνάσσειν ἢ μονοσιόλου δορός*; (742)? Num ullius urbis portae possunt vel a singulis oppugnari, vel impetus hostium a singulis repelli? Itaque ista quaestio ut hoc loco ineptissima est, ita optime quadraret, si prius proferretur verbis subiecta avunculi *ἐπι' ἄνδρας ἀντοῖς φασιν, ὡς ἤκουσ' ἐγώ* (737). Ac quamvis metuum, ne audaciae cuiusdam incuser, equidem versum 742 illic profecto exstitisse crediderim, ita ut Eteoclis duplex quaerendi ratio legeretur, altera genuina *τί προσκίσθαι δοῦν; τὸ γὰρ σθένος βραχύ*, altera suppositicia *λόγων ἀνάσσειν ἢ μονοσιόλου δορός*. Quae postquam in textum illata propriam sedem commutavit, ne continuatio stichomythica perturbaretur, v. 743 *λόγων, προκρίνας ὅπερ ἀλκιμώτατοι* adiectum esse arbitror. Nec suspicionem ille spuriae naturae non praebet, quippe cui maior sit similitudo cum v. 746 *θάρασει προκρίνας ἢ φρενῶν ἐβουλία*; parum enim probabile est vocem *προκρίνας* brevissimo spatio interiecto ab Euripide repetitam esse atque bis positam in fine hemistichii. Vide autem:

<i>Κτ. ἐπι' ἄνδρας ἀντοῖς καὶ σὺ πρὸς πύλαις ἐλοῦ.</i>	741
<i>Ετ. ξενῆκ' ἀμύνειν τειχέων προσαμβάσεις.</i>	744

ex ipso vocabulo *ξενῆκ'* intelliges inter utrumque versum nihil interfuisse. — Hoc iudicium magna sententiarum, quae in interloquio ab Creonte et Eteocle habito proferuntur, concinnitate confirmatur. Quatuor enim dialogi partes sunt, quarum in prima salute invicem data captivi a Creonte mentio fit Argivi (697—708), altera est de pugna cum hostibus acie instructa committenda (709—21; vss. 710—11 pro uno sunt numerandi), in tertia Eteoclis varia Argivos subito opprimendi consilia reiciuntur (722—33) quarta ad defendendas urbis portas contra septem oppugnatores pertinet (734—747, d. v. 742.43). Haec rerum capita quater duodenis versibus insunt, ita tamen ut maior versuum complexus quasi minutioribus quibusdam figuris ornetur. Ac primam quidem partem ex versibus ter ternis (697—99=700—2=703—5) et ter singulis (—708) constare, non opus est ut multis exponam, siquidem intellexeris v. 706 a Creonte dictum inter stichomythicos versus referendum esse; in altero membro duodenario connectendi videntur 2 + 4 et 4 + 2, quamquam particulas non nego paulo minus perspicuas esse, quam in tertio, ubi bis singulis praemissis (722—23) de nocturna oppressionem quatuor alternant (724—27), totidem de impetu in hostes prandio indulgentes faciendo (728—31), duo denique de incursione equitum (—733). Quarta pars incipit a regis quaestione *τί δῆτα δράσω; πολεμίοισι δῶ πόλιν* (734); eoque apertius in duos seniones dilabitur, quo magis illi versui convenit versus septimus *τί δῆτα δροῦμεν; ἀπορίαν γὰρ οὐ μὲνῶ* (740). Uterque autem senio utrum rectius ita digeratur 2+4, 4+2, an in quater ternos, ambiguum videtur; ternarium ego numerum praeferrem, si in v. 745 *καὶ ξυστρατήγους· εἰς δ' ἀνὴρ οὐ πένθ' ὄρε* pro *καὶ* exstaret *σ οὐ ξυστρατήγους*, quae scriptura nescio an probabilitatis quid habeat.

Iph. 1284 sqq. Nuntius regi indicaturus Iphigeniam cum Oreste effugisse, simulac feminas prope Dianae aedem adstantes vidit, ex eis quaerit, ubi dominus versetur. At chorus salutem fugientium prospiciens illum contendit iam discessisse nec se scire quo se converterit. Inde suspitione

mota nuntius conscias eas esse fugae arguit, id quod quamvis studiose negent impellantque, ut ad regiam properet, non est abiturus, priusquam a ianitore certior factus sit, utrum rex intus sit necne, εἴτ' ἔνδον, εἴτ' οὐκ ἔνδον ἀρχηγὸς χθονός. Fores igitur pulsans exclamat:

ὦ ἡ χαλᾶτε κληῖθρα, τοῖς ἔνδον λέγω
καὶ δεσπότη σημήναθ', οὔνεκ' ἐν πύλαις
πάρεμι καινῶν φόρον ἀγγέλλων κακῶν. 1304

Quorum versuum medius repugnare videtur non modo sententiarum nexui, sed etiam communi hominum sensui. Quid? Nonne nuntium videmus dubium atque haesitantem, num dominus adsit? Qui fit, ut aedituum non evocet, sed quem abesse audivit, ei denunciari iubeat. At ista, quae a feminis certe dubitans accepit, non iam credit. Minime id quidem, nam ubi ipse Thoas tumultu facto egressus est, adpectu adeo obstupescit, ut interroganti non respondeat, sed statim dicat:

ἔψευδον*) αἶθε καὶ μὲ ἀπίλαννον δόμων,
ὡς ἐκτός εἴης· σὺ δὲ καὶ οἶκον ἱσθ' ἄρα;

Itaque ex aperto sententiarum nexu sequi videtur, ut nuntius v. 1305 pronunciare nequierit, quem si rex audivisset, quaerendum ei erat, non quis clamorem sustulisset, sed quid indicaturus ille esset. Ac respicientibus nobis singulasne poeta sententias certo versuum ordine distinxerit, ipsa aequabilitatis forma quamvis desit, non tamen minus lex valet concinnitatis. Scena autem ante copiosam fugae enarrationem in duas partes dilabitur, quarum prior est colloquium inter nuntium et chorum (1284—1306), altera nuntii cum Thoante factum (1307—26), quae partes nobis singulae spectandae sunt. Ac nuntius in scenam progressus quaerit: Θόας ἀναξ γῆς τῆσδε ποῦ κρυεῖ βεβώς, cuius rei cum responsum ferat v. 1294 ὄν δ' ἰδεῖν θέλεις, | ἄνακτα χόρας, φροῦδος ἐκ ναοῦ σὺθεῖς, hi versus undecim (1284—94) pro una habendi sunt particula. Tum interroganti ποῖ; suspicionem feminarum verba irrisionis plena iniciunt, donec ab aedituo certior fiat (1295—1306). Itaque deleto v. 1305 prioris scenae bis undeni versus sunt, qui digerendi mihi videntur 4+7 . 7+4, quamquam septenarium numerum diversa ratione compositum esse oculi te ipsi docebunt. In altera scena, quae ex viginti versibus constat, quinarius numerus quater recurrit; postquam enim de fraude feminarum verba facta sunt (1307—11), nuntius fugam brevi exponit (1312—16), ac post quinque colloquentium versus stichomythicos (1317—21) regem adhortatur, ut fugientes quam celerrime persequatur (1322—26). Quinaria autem membra suam quaeque speciem prae se ferunt: 2. 2+1. — 5 — 5X1 — (1+2). 2.

Iph. Taur. 1020 sqq. Orestes et Iphigenia inter se deliberant, quomodo rapta deae statua reditum sibi in patriam parent, quod colloquium et spuris additamentis auctum esse et orbatum uno alterove versu homines docti iudicaverunt. Ac prius de suppositiciis versibus disseramus, in quorum numerum referendos esse versus 1025, 26, qui iam Marklando suspecti erant, cum Kirchhoffius rectissime intellexisset, Euripidea tamen integritas nondum restituta mihi videtur. Dialogum igitur ut accuratius pertractemus, primo consilia ab Oreste prolata reiciuntur, tum Iphigenia salutis viam reperisse sibi visa interroganti fratri, quid apud animum suum statuerit, dicit: ταῖς σαῖς ἀνίαις χηρίσομαι σοφίσμασιν (1031), neque est dubium, quin respiciens quibus malis Orestes matricida agitur, rem consulto obscurius significet; perlege enim colloquium, quod supra inter fratrem et sororem exstat, ex versibus 924 sqq. facile intelliges, quam graviter vel mentionem

*) Glossam libris insertam ψευδῶς ἔλεγον correxit Heimsöethius.

ille funesti facinoris ferat. At prorsus id soror negligere videtur cum addat, *γονέα σε φήσω μητρὸς ἐξ Ἄργους μολεῖν*, quibus verbis ut tristis illa memoria resuscitatur, ita Orestes nihil docetur, quidnam actura sit. Eius autem responsum *χοῖσαι κακοῖσι τοῖς ἐμοῖς, εἰ κερδανεῖς* (1034) comparatum cum verbis *ταῖς σαῖς ἀνίαις χοῖσομαι σοφίσμασιν*, propter nimiam nos similitudinem offendit, nec quidquam versus inter se discrepant, nisi *κακοῖσι* vox vulgata legitur pro rariore vocabulo *ἀνίαις*, praeterea verba *εἰ κερδανεῖς* ex Hel. 1050 sumta videntur, ubi Menelaus mortem propter instituendam fugam simulare ab uxore iussus dicit *κακὸς μὲν ὄρνις, εἰ δὲ κερδανῶ λέγων, | ἔτοιμός εἰμι*. Quae cum ita sint, versus 1033 et 34 valde mihi suspecti sunt, neque eos ab Euripide scriptos esse crediderim, sed postea ab actoribus insertos, ut loco duorum versuum praecedentium, qui quidem insignes sunt ut poetica vi, ita quadam obscuritate, recitarentur. Histronibus igitur, ni fallor, duplex declamandi modus eiusmodi erat, ut pronuntiarentur aut hi versus:

<i>Or.</i>	<i>ποῖόν τι; δόξης μετάδος, ὡς κἀγὼ μάθω.</i>	1030
<i>Iph.</i>	<i>γονέα σε φήσω μητρὸς ἐξ Ἄργους μολεῖν.</i>	1033
<i>Or.</i>	<i>χοῖσαι κακοῖσι τοῖς ἐμοῖς, εἰ κερδανεῖς.</i>	1034

aut Euripidea aetate:

<i>Or.</i>	<i>ποῖόν τι; δόξης μετάδος ὡς κἀγὼ μάθω.</i>	1030
<i>Iph.</i>	<i>ταῖς σαῖς ἀνίαις χοῖσομαι σοφίσμασιν.</i>	1031
<i>Or.</i>	<i>δειναὶ γὰρ αἱ γυναῖκες εὐρίσκειν τέχνας.</i>	1032
<i>Iph.</i>	<i>ὡς οὐ θέμις σε λέξομεν θύειν θεῶ,</i>	1035
<i>Or.</i>	<i>τίν' αἰτίαν ἔχουσ'; ὑποπιεῖώ τι γάρ.</i>	1036

Sed ad alteram de omissis versibus quaestionem aggrediamur. Neque vero cum tres essent homines docti, qui finem dialogi mutilum esse arbitrarentur, illi inter se consentiunt, sed alium alius lacunae locum significantes propter hanc ipsam iudicii diversitatem autores ad persuadendum minus idonei fiunt. Neque enim Koechly lacunam post v. 1049 statuentis, neque Hirzelii indicantis versum post 1050 excidisse argumenta probata esse Weillio patet. Is cum intelligeret Iphigeniae verba *σοὶ δὲ μέλειν χοῖ τ' ἄλλ', ὅπως ἔξει καλῶς* ab Oreste, cuius prima verba sunt *ἐνὸς μόνου δεῖ τάδε συγκροῦναι τάδε* non resp.ci, in sententiam adductus est eam, ut versum Orestis inter 1051 et 52 omissum esse censeret atque v. 1052 Iphigeniae attribuendum. At nescio an homo doctissimus rectissima propositione ut ita dicam ad falsam conclusionem pervenerit. Nam quamquam versus parum cohaerent, nisi ad illum Iphigeniae versum *σοὶ δὲ μέλειν χοῖ τ' ἄλλ', ὅπως ἔξει καλῶς* Orestis extrema verba *τὰ δ' ἄλλ' ἴσως ἂν πάντα συμβαίη καλῶς* referenda sunt, tamen non sequitur, ut connexus versuum turbatus sit, quia quae ad ipsam pertinent fugam, iam deliberata absoluntur versu 1051. Tunc Orestem cogitatio subit necessarium esse feminarum silentium eiusque verba sunt et clausula colloquii praecedentis et introductio scenae subsequentis. — De parilitate sententiarum huius dialogi quae disseruit Hirzelius, non prorsus mihi probari, inde elucet, quod diversam rationem criticam secuti sumus, neque tamen dubito, quae intellexisse mihi videor, hoc loco exponere. Post tres igitur Iphigeniae versus continuos Orestes de nece regis (1020—23) et de nocturno simulacri furto (1024—28, del. 1025. 26) cum sorore ita colloquitur, ut et quatuor singuli versus et tres connectendi sint. Sequitur sacerdotis de lustratione fratris instituenda consilium idque post quatuor versus de salute in ipsis Orestis malis posita praemissos (1029—32, d. 1033. 34) ipsum tribus versibus exponitur (1035—37), unde versus 4+3 recurrere intelliges. Hunc Hirzelius quoque finem alterius particulae statuit, qui versibus 1033, 34 adnumeratis cum duo membra octonaria usque ad v. 1037 reperiri contenderet, Iphigeniae verba *ἔχειν δοκῶ μοι καινὸν ἐξεύρημά τι* parum recte ei attribuit membro, quod de consiliis est Orestis.

Ceterum quia sunt qui omnino dubitent, utrum versus inter diversas personas dispersitos in unum colligere liceat, animadvertant isti velim, Iphigeniae verba *ὡς οὐ θέμις σε λέξομεν θύειν θεῶ* (v. 1035), sermone ab Oreste interrupto non absolvi nisi versu 1037, id quod Weilius iam adnotavit.*) Cum igitur priorem colloqui partem ex versibus constare quatuordecim (4 + 3. 4 + 3) viderimus, idem numerus efficitur eis quae adduntur de lustro ac de fuga paranda (1038—51), quamquam numerus septenarius hic non valet (4. 4. 3x2). Quae inter fratrem atque sororem convenerunt, ut ad exitum adducantur, necesse est feminae consiliorum participes sileant, id quod Orestes quatuor versibus admonet (1052—55). Itaque Iphigenia eas orat obsecratque, ne autores tribus fiant communis perniciē, quae preces (1056—74, d. 1071) numerorum speciem praebent hanc 4. 3+4. 4+3. Istis silentium se observaturas esse pollicitis (1075—77) sacerdos gratias agit et Orestem una cum amico aedem sacram intrare iubet (1078—81), deinde Dianam precibus adit, ut quae dea olim moriturae salutem tulerit, nunc felicem in patriam reddat reditum (1082—89; 4+3). Neque igitur modo numerus septenarius in colloquio stichomythico et in hac peroratione regnat, sed etiam eadem versuum tricenorum binorum summa bis exstat:

O. J. 28x1. O. 4 | J. (4. 3+4. 4+3) Ch. 3 J. (4. 4+3).

*) Iphigenia fratri parum intelligenti, quid ipsa velit, de statua deae dicit *κάκεινο νύψαι, σοῦ θιγόντος ὡς, ἐρῶ*. Responsum eius:

ποῖ δῆτα; πόντιον νοτερόν εἶπας ἔκβολον;

a Weilio ingeniosissima mutatione sic scribitur:

ποῖ δῆτα; τόνδε νοτερόν ἢ πάρ' ἔκβολον;

Attamen aliquantulum dubitationis mihi restat, quia vox *εἶπας* non ea videtur esse, quae errore facta sit librarii, vide Koechlyi adnotationem, nec scio an verba *πόντιον νότερον ἔκβολον* diversissimum sensum praebent ab eo quem voci inesse homines docti arbitrati sunt. Neque enim promontorium intelligendum esse existimo, sed *πόντιον νοτερόν ἔκβολον* idem videtur mihi esse quod *πόντιον κλύδων ἐκβληθεῖς*, ubi *ἔκβολον* nomen substantivum est; qua interpretatione probata Orestes nihil respicit nisi sororis verba *πόντιον πιγαῖς*. Sed accuratius etiam de primis versus verbis *ποῖ δῆτα* disputandum est. Etiam si enim hominibus doctis *ποῖ δῆτα* offensionem erat, quoniam manifesto desideratur *ποῦ δῆτα*, locum tamen tuebantur collato versu Sophocleo Phil. 1210, ubi Philocteta dicente *πατέρα ματεύων* chorus subicit *ποῖ γὰρ*; At exemplum Sophocleum et inter versus exstat Lyricos et notione vocis *ματεύων* efficitur, ut de digressu eius qui quaesiturus est facile subcogitemus. Prorsus aliter res hoc loco comparata est, nec quidquam est cur Euripides a vulgato loquendi usu recesserit. Huc aliud accedit, priusne agitur de lavando simulacro an de amovendo, praesertim cum Orestis plurimum intersit scire, quis effigiem asportaturus sit? Denique vide, quam mire consentientes versus 1042 et 44 in libris exstant:

ποῖ δῆτα; πόντιον νοτερόν εἶπας ἔκβολον;

σοῖ δῆτις ἄλλος ἐν χερσὶν οἴσει βρέτας.

Transpositione igitur facta ordo versuum restituendus videtur hic:

Iph. κάκεινο νύψαι, σοῦ θιγόντος ὡς, ἐρῶ. 1041

Or. σὺ δ' ἢ τις ἄλλος ἐν χερσὶν οἴσει βρέτας; 1044

Iph. ἐγὼ θιγεῖν γὰρ ὄσιόν ἐστ' ἐμοὶ μόνη. 1045

Or. ποῖ δῆτα; πόντιον νοτερόν εἶπας ἔκβολον; 1042

Iph. οὐ καῶς χαλινοῖς λινοδέτοις ὄρμηϊ σέθεν. 1043

Phoen. 834 sqq. Orationes fabulis tragicis insertas saepe video non modo inter se versuum numero exaequatas, sed etiam cum certa vel praecedente vel subsequente dialogi parte, sive stichomythica est sive alia ratione composita, congruentes. Eiusmodi exemplum luculentum est initium tertii episodii Phoenissarum, quod ad pertractandum eo paratiôr sum, quo maior me spes tenet fore ut in critica ratione paululum proficiam. Tiresias igitur, vates ille caecus, puella duce in scenam progreditur, senisque verba cum Menoeceo, deinde cum Creonte facta episodii sunt prima pars (834—64). Tum orationem satis copiosam de deplorando statu Thebarum habet (865—95), quae cum eis quae praecedunt, ita concinit, ut numerus tricenorum singulorum versuum recurat. Neque Dindorfio, homini plerumque sagacissimo, versus 847, 48 in suspicionem vocanti hoc loco multum tribuerim, quoniam priorem versum corruptissimum esse inter omnes constat, nemo fere spuriae indicia naturae ibi impressa esse concesserit. At Kirchhoffius cum Tiresiae verba duabus distinxerit lacunis ante v. 870 et post v. 878, optime illum quidem iudico sensisse orationem mutilam esse atque laceram, neque tamen ad lacunas confugiendum mihi videtur, sed laboranti loco alia medendi ratio adhibenda. Spectemus igitur initium orationis. Ibi cum Tiresias de universo Thebanorum infortunio loquatur, non eius interest, quidquid ad Oedipodem pertinet, enarrare, sed finem malorum positum esse in infelicissimo illo matrimonio demonstraturus est. Itaque hoc loco duo de saeva luminum laceratione versus:

αἶψ' αἵματοιοὶ δεργμάτων διασθοραὶ 870
θεῶν σόφισμα κἀπίδειξις Ἑλλάδι

minus apte proferuntur, neque id quod rerum caput est satis iis probatur terram laborare. Paulo post Tiresias facere se potuisse negat, quin cum regis filiis inimicitias contraheret; quid enim dicendum sibi fuisse, quid faciendum, ut istud evitaret! Hoc quidem loco eiusmodi sententia desideratur ut dicat id fieri nequisse, quia ipsa oculorum elisio et diis auctoribus facta et documentum omnibus Graecis manifestum fuisset. Iam id quod volo assecutus mihi videor, ac, ne multa, versus censeo hoc modo esse transponendos:

ἀγὼ τί θεῶν οὐ, ποῖα δ' οὐ λέγων ἔπη, 878
ἔνθ' αἵματοιοὶ δεργμάτων διασθοραὶ 870
θεῶν σόφισμα κἀπίδειξις Ἑλλάδι, 871
εἰς ἔχθος ἦλθον πασὶ τοῖσιν Οἰδίποιν. 879

Ἐνθα autem quod altero versu scripsi, non ex meo, quantulumcunque est, ingenio profectum est, sed in codice eo constat, cui quamquam primae deferendae non sunt proximas tamen procul dubio obtinet. Vaticanum dico, quam scripturam cum casu evenisse haud credibile sit, versuum transpositio quam maxime confirmatur; copulam autem in relativis quoque enuntiatis haud raro omitti exemplis probare etsi non opus est, conferre tamen licet *Iph. Aul.* v. 895 *Μενέλεως ἀφείλεθ' ἡμᾶς* (sc. *δέλιον*), *ὃς κακῶν τῶνδ' αἴτιος*. At erunt qui cum concedant eundem versuum numerum inter orationem atque dialogum praecedentem interesse, id a poeta consulto factum esse negent, sed casu accidisse contendunt; isti etiam plus hic valere putent fortunam. Scena enim, cuius primas partes agit Tiresias, bipartita est, quia vates ne filium Creontis perdat, priusquam tristissimum dei edictum pronunciet, abiturus est (894, 95). Aegre retinetur gravissimisque precibus vix eo adducitur, ut illud oraculum patefaciat, quo pertinet et colloquium inter Creontem et Tiresiam habitum (896—930) et senis altera oratio (931—59), quorum versus computati 34+28=62 eandem summam faciunt, quae erat bis tricenorum singulorum versuum 31+31=62. Praeterea haec quoque ratio nos docet versus 912 et 946 iamdudum damnatos, quos equidem non adnumeravi, existimandos esse spurios. Pauca de dialogo addere liceat, cuius sententias octonis versibus contineri octavus versus (903) *κλύοις ἂν ἴδῃ τῶν ἐμῶν θεσπίσματος* comparatus cum sexto decimo

Phoen. 834 sqq. Oratio numero exaequatas, sed etiam cum est sive alia ratione composita episodii Phoenissarum, quod ad critica ratione paululum proficere creditur, senisque verba cum Me- tum orationem satis copiosam quae praecedunt, ita concinit, dorfio, homini plerumque sag- tribuerim, quoniam priorem v- indicia naturae ibi impressa esse lacunis ante v. 870 et post v. atque laceram, neque tamen ad ratio adhibenda. Spectemus igitur infortunio loquatur, non eius in- positum esse in infelicissimo luminaum laceratione versus:

αἶψ'
θεῶν

minus apte proferuntur, neque id Tiresias facere se potuisse nega- sibi fuisse, quid faciendum, ut ut dicat id fieri nequisse, quia Graecis manifestum fuisset. I- censeo hoc modo esse transpone-

ἀγὼ
ἐνθεῶν
θεῶν
εἰς ἐ

Ἐνθα autem quod alter- est, sed in codice eo constat, dubio obtinet, Vaticanum dico, transpositio quam maxime confi- omitti exemplis probare etsi *ἀφ' ἑλίου ἡμῶν* (sc. *δέλιον*), ὅ- numerum inter orationem atque negont, sed casu accidisse con- cuius primas partes agit Tiresi- tristissimum dei edictum pronun- biis vix eo adducitur, ut illud Tiresiam habitum (896—930) =62 eandem summam faciunt. Praeterea haec quoque ratio non adnumeravi, existimandos esse sp- contineri octavus versus (903) x-

non modo inter se versuum logi parte, sive stichomythica luculentum est initium tertii maior me spes tenet fore ut in puella duce in scenam pro- i sunt prima pars (834—64). et (865—95), quae cum eis versuum recurrat. Neque Din- em vocanti hoc loco multum constat, nemo fere spuriae Asiae verba duabus distinxerit sisse orationem mutilam esse laboranti loco alia medendi- as de universo Thebanorum enarrare, sed finem malorum atque hoc loco duo de saeva

870

terram laborare. Paullo post traheret; quid enim dicendum eiusmodi sententia desideratur acta et documentum omnibus teor, ac, ne multa, versus

878

870

871

879

unque est, ingenio profectum sunt proximas tamen procul haud credibile sit, versuum quoque enuntiatis haud raro ph. Aul. v. 895 *Μενέλεως* non concedant eundem versuum a poeta consulto factum esse tent fortunam. Scena enim, in Creontis perdat, priusquam tinetur gravissimisque preci- colloquium inter Creontem et am versus computati 34+28 um versus 31+31=62. damnatos, quos equidem non ius sententias octonis versibus comparatus cum sexto decimo

A
1
2
3
4
5
6
M
8
9
10
11
12
13
14
15
B
17
18
19

R

G

B

TIFFEN
Gray Scale

W

G

K

C

Y

M

© The Tiffen Company, 2007

(911) ἄκουε δὴ νῦν θεσγάτων ἐμῶν ὁδόν manifesto demonstrat; prioribus autem octo versibus vates ut omnino loquatur permovetur, alteris ut vel praesente Menoeceo. Tum aperto oraculo pater summo terrore imbutus (913—20) inde a v. 921 χαίρων ἴθ' οὐ γὰρ σῶν με δεῖ μαντευμάτων irritas preces profert, ne edictum dei provulgetur (921—28). Denique quaestione prolata, cur sibi suoque filio id malum immineat (929)*, Tiresiam ad declarandam mortis necessitatem adducit. — Restant episodii ea quae in precibus a patre factis, ut filius Thebis quam celerrime relictis fuga salutem quaerat, et in Menoecei generoso voluntariae mortis consilio versantur. Is quia eo quo vult pervenir enequit nisi patre decepto, ex urbe se profecturum promittit, Creontem autem impellit, ut paraturus quae fugienti opus sint discedat. Extrema quae ad patrem dicit verba et initium eorum quae choro aperit haec sunt:

ἀλλ' εἶα χάρεαι μὴ τὸ σὸν κωλύειω. — 990
 γυναῖκες, ὡς εὖ πατρός ἐξεῖλον φόβον,
 κλέψας λόγους, ὅσθ' ἂ βούλομαι τυχεῖν.

Verba μὴ τὸ σὸν κωλύειω γυναῖκες ὡς εὖ Nauckius cum editione uncis inclusisset, studii Euripideis Petropoli excussis (A. I. p. 85) spuria probare eo potissimum conatur, quod laudem quam de semet ipso Menoeceus proferat, dicit ineptissimam; neque enim quidquam esse cur iste admiretur, quod fallaci patrem promisso deceperit. At ista sententia, quamvis primo aspectu speciosa sit, non tamen vera videtur esse. Nam Menoeceus non est praedicaturus, quam fallendi rationem inierit vel quo astu usus sit, sed cum egregium servandae patriae consilium respiciat, suo iure dicit, metu animum patris egregie se liberasse; verba igitur ὡς εὖ quae vertenda sunt „wie recht“, vel „wie sehr mit Recht“ non habent, quod offendant, neque versus 990 is est, quem recte in suspicionem voces, quo servato hanc episodii partem (960—90) constare videmus ex versibus trigenta uno. — Sequitur Menoecei ad feminas oratio, quae non orba est aequabili sententiarum distributione, quia octo de versibus consilio praemissis (991—98) bis denis versibus (999—1008—1009—18) ille exponit, quibus causis ad mortem pro patria obeundam impellatur, quae denaria membra etiam accuratius digerenda videntur hoc modo: 10 (4. 3. 3) 10 (4. 2. 4). Neque modo orationi iuvenis mortem ultro appetituri cum Tiresiae verbis (931—59 del. 946), quibus mors ipsius flagitatur, argumentum convenit, sed etiam numerus versuum, utraque enim oratio versus complectitur vicenos octonos. Itaque ut totius episodii ratio artificiosa uno in conspectu videatur:

dialogus et prior Tiresiae oratio = 62 versus (31+31)
 dialogus et altera Tiresiae oratio = 62 versus (34+28)
 Creontis filium ad fugam adhortantis verba = 31 versus.
 Menoecei consilium pro patria moriendi = 28 versus.

*) Interroganti Creonti ἐκ τοῦ θ' ἐμοὶ τόδ' ἦλθε καὶ τέκνη κακόν; Tiresias respondet

ὄρθῳς μ' ἐρωτᾷς κείς ἀγῶν' ἐρχη λόγων. 930

Cui versui Valckenarius collato v. Andr. 233 τί σεμνομνηθεῖς κείς ἀγῶν' ἐρχη λόγων demonstraturus poetam non veritum esse, ne eadem loquendi ratione saepius uteretur, exemplum simillimum eadem repetitione insigne ex Med. 546 et Suppl. 428 profert ἄμιλλαν γὰρ σὺ προῦθρηκας λόγων. Quamquam igitur in ipsa repetitione nihil est cur offendamus, tamen dubitaverim, num scriptura εἰς ἀγῶν' ἐρχη λόγων genuina sit. Quaecumque enim v. d. exempla attulit, ad controversiam vel ad altercationem loquentium spectant, quae sententia ab hoc loco quam maxime abhorret. Immo vero quia Tiresias quaestionem illam rectissime proponi confitetur, cum simile quid addendum videatur, nescio an Euripides eum loquentem fecerit:

ὄρθῳς μ' ἐρωτᾷς κείς ἀκμήν ἐρχη λόγων.